



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 4. De morte peccatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Majus.

Crudelis, & planè execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, & sapientiam perire desiderat. *Bern. serm. de Resur.*

DIES IV.

De Morte Peccatoris.

I.

Quisnam in mortis articulo peccatoris erit status? quis timor? quæ perturbationes? quæ desideriorum, & cogitationum dissensio? Is modicam fidem habuit in vita; & magnam fortassis habebit in morte; sed, quæ illum perturbet, & cruciet. Habuit spem injustam pariter, & temerariam, cum viveret, & in morte desperationem magis adhuc injustam. Potuit habere charitatem, Deumque suum amare, cum viveret; & noluit. Vellet eum amare in morte, & non poterit. Fastidiet bona, voluptates, creaturas, quas Deo, & salutis suæ prætulit; affectum tamen erga illas non exuer. pudebit ipsum criminum suorum; nec tamen illorum pœnitebit; vel si pœnitebit, pœnitentia hæc erit coacta, quæ eum quidem afflictum, & infelicem, non tamen pœnitentem reddet. Hæc, Domine, justa est pœna, quam peccatori

catori infligis; dum ipsum in morte sibi Majus.
met adversarium reddes, cum in vita sua
tibi semper fuerit adversatus.

II. Peccator in morte torquebitur in-
tuitu, & memoria præteritorum; tot gra-
tiarum, quibus abusus est; quasque tunc
temporis optabit, sed impetrare non po-
terit; tot salutis obrinendæ mediorum,
quæ neglexit. Per ea toto vitæ tempore
salutem æternam consequi facillimè pote-
rat; sed eorum abusus ab ipso admissus ei
salutem, ut obtentu impossibilem propo-
net. Cruciabitur memoria omnium vo-
luptatum, quæ tam vanæ, tam exiguæ,
& tam breves fuere, & modò pænas æter-
nas ei accersent. Hæ ipsi tam jucundæ
videbantur in vita, quàm ei horribiles
tunc videbuntur? hæ, fuere ipsius deliciæ,
tunc tormentum ipsius erunt. Quidquid
ei fastidium, & timorem injecerat in vita,
nimirum pœnitentia, erit ipsi desiderio-
rum objectum, sed incassum. Omnia,
quibus delectabatur, nimirum turpes, &
sceleratæ voluptates eum cruciabunt, &
ad desperationem adigent. Quanta mu-
tatio! sed Eheu! mutabit opinionem suam,
non item affectum.

III. Peccator crudeliùs adhuc torque-
bitur timore futurorum. Is videt, sibi
in-

Majus.

intra paucas horas è tempore migrandū ad æternitatem; scit, eam, si in gratia constitutus non sit, infinitè sibi fore infelicem, & non tantum exploratum non habet, se in gratia esse; non tantum spiritus ei testimonium non reddit, se filium Dei, & Regni cœlestis hæredem esse, sed indicia ei suggerit clarissima reprobationis, ob peccatorum suorum multitudinem, & gravitatem, ob cordis sui duritiem, ob conscientie suæ perturbationes, & diffidentiam de Misericordia Dei, & desperationem de consequenda salute æterna, cui se immergit. Itaque eo in statu se deprehendit, qui terribilem simul imaginem, & anticipatam poenam sibi proponet Inferni, ad quem citatis passibus properat. Eni quem finem sortiatur falsa peccatoris felicitas: paritne ea tibi invidiam, an horrorem?

Interroga te metipsum, an mori velles morte peccatorum; si non vis; cur igitur eam vitam agere cupis, quam illi agunt, cum ea certissime ad hanc mortem te deducat?

Mors peccatorum pessima. *Psalm. 33. 22.*

Hac justissima animadversione punitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus oblitus est Dei. *Aug.*

DIES